Corvinus Laurentius Carmina

Jezienicki Laurentii Corvini carmina

Jaśnie Wielm. Panu Prof. Dr. Ant. Kalinie z wyrazami głębokiego poważania ofiaruje autor.

MICHAEL JEZIENICKI.

LAURENTII CORVINI,

POETAE SILESIACI, CARMINA

DE IOANNIS ALBERTI, REGIS POLONIAE, ELECTIONE ET CORONATIONE AD FIDEM CODICIS MISCELLANEI LAT., QUI NUM. 4422 SIGNATUS IN REGIA BIBLIOTHECA MONACENSI ASSERVATUR, NUNC PRIMUM EDITA.

ODBITKA Z KSIĘGI PAMIĄTKOWEJ
dla Prof. Dra LUDWIKA ĆWIKLIŃSKIEGO.

LWÓW 1902.
NAKŁADEM AUTORA.
I. Związkowa Drukarnia we Lwowie.

LAURENTII CORVINI,

POETAE SILESIACI, CARMINA

DE IOANNIS ALBERTI, REGIS POLONIAE, ELECTIONE ET CORONATIONE AD FIDEM CODICIS MISCELLANEI LATINI, QUI NUM. 4422 SIGNATUS IN BIBLIOTHECA REGIA MONACENSI ASSERVATUR, NUNC PRIMUM EDIDIT, PRAEFATIONE NOTISQUE INSTRUXIT

MICHAEL JEZIENICKI.

Cum Prof. Gustavi Bauchii, Viri clarissimi et de rebus litterisque Silesiae investigandis illustrandisque meritissimi, consilio benevolentissimo impulsus codicem miscellaneum lat. (saec. XV ex., num. 4422 signatum) Bibliothecae regiae Monacensis pervolutarem, in eius farragine antiquorum recentiumque auctorum latinorum scripta varia continenti etiam aliquot nova carmina Laurentii Corvini[1]), poetae Silesiaci saec. XV ex. et XVI in. viventis, repperi. E quibus carminibus, quae cuncta in completa Laurentii Corvini carminum editione mox a me recensebuntur, duo tantum poemata hoc loco publicare paucisque praefari constitui, ut et eorum argumenta facilius perspiciantur et virtutes vitiaque in vera luce collocentur.

Primo carmine (lib. mscr. fol. 194b—197b), quod ex 127 versibus heroicis constat, Ioannis Alberti, Poloniae regis a. 1492 — 1501 regnantis, electio describitur, altero autem poemate (lib. mscr. fol. 200a — 202a), quod 25 strophis Sapphicis efficitur, eiusdem regis coronatio celebratur. Quibus carminibus

[1]) Qui nomine Germanico „Lorenz Rabe“ nuncupatur.

si duo alia Corvini poemata, quorum altero[1]) Casimiri regis, qui pater Ioannis Alberti fuit, obitus deploratur, altero[2]) felix dominatio et virtutes Ioannis Alberti regis celebrantur, addideris, quendam carminum cyclum regiae Iagellonidarum familiae dicatum habebis, quam Corvinus singulari cultu ac veneratione videtur esse prosecutus.

Carmina Ioannis Alberti regis electionem et coronationem celebrantia Corvinus a. 1492 Cracoviae conscripsit, atque ita, ut primum carmen statim post regis electionem (27. Augusti a. 1492), alterum post coronationem factam (23. Sept. a. 1492) conditum esse statuamus.

Ad quae conscribenda Corvinus communi regis veneratione et gaudio, quod universa civitas, dum sollemnia ad electionem et coronationem spectantia Cracoviae peragerentur, prae se ferebat palamque ostendebat, imprimis videtur esse impulsus. Neque incredibile est, si quis poetam etiam spe gratiae regis conciliandae ductum haec carmina, quae ad eius notitiam perventura speraret, conscripsisse putat.

Rebus, quae in utroque carmine adumbrantur, ipse poeta interfuit, cum eum ab a. 1484 ad a. 1493 Cracoviae commoratum esse constet. Fuit enim Corvinus alumnus Almae matris Iagellonicae, cuius facultatem artisticam a. 1484[3]) adiit, ut antiquarum litterarum et humanitatis studio vacaret. In quo adeo profecit, ut a. 1486 ad bacalaureatus et a. 1488/9 ad magisterii gradum promotus denique a. 1489/90 extranei de facultate dignitatem (quae nostris temporibus privatim docentium dignitati respondet) adeptus esset, quam in Universitate litter. Cracov. usque ad suum in patriam Silesiam reditum (a. 1493) obtinuit.[4])

---

[1]) Exstat in eodem codice Monacensi (fol. 192a—194a), itemque in codice caes. Bibliothecae Petropolitanae num. L. F. IV. 19 signato (p. 533—535).

[2]) Cuius titulus est: „Ad Ioannem Albertum regem invictissimum". Exstat autem in Corvini libello: „De carminum structura" (fol. 4a—5a) a. 1496 Cracoviae? edito, itemque in opusculo: „Deliciae poetarum Germanorum" auctore A. F. G. G. Francof. 1612, t. II. p. 943.

[3]) Vid. „Album studiosorum facultatis artist. Univ. lit. Cracov". ed. Chmiel, Cracov. 1886, sub a. 1484, sem. aest.

[4]) Vid. Muczkowski: „Statuta nec non liber promotionum philos. ordinis in Univ. Stud. Iagel". p. 96, 103.

Cum in universitate litterarum Cracoviensi magistri munus obiret, praeter Aristotelis et Petri Hispani scripta philosopha etiam veterum Romanorum opera, velut Vergilii Bucolica et Boëthii de consolatione philosophiae, in scholis legit et interpretatus est[1]), qua re de antiquarum litterarum humanitatisque studiis in Polonia excitandis et propagandis optime meritus est.

Nunc vero, ut carminis „de electione" virtutes vitiaque accuratius perspiciantur, eius argumentum paucis perstringamus.

Postquam poeta in exordio (v. 1—7) diem, quo Casimirus rex decessit, spatiumque interregni non satis accurate definivit, electores in oppidum, cuius nomen non memoratur, ad novum regem creandum convenisse narrat (v. 8—14). Quorum conventum unus ex electoribus sollemni auspicatur oratione, qua exemplis ex mythologia et historia petitis principes adhortatur, ut unum tantummodo regem sibi eligant et cui imperii summam tradant, diligenter circumspiciant (v. 15 — 42). Qua oratione finita electores suspensi Iovem precantur, ut per Mercurium caelo demissum ipsis nuntiet, quem maiestate regia dignissimum esse putet. Iuppiter eorum precibus commotus Mercurium caelo demittit, qui conventum electorum ingressus Ioannem Albertum, mortui regis filium, cuius virtutes animi victoriasque de hostibus partas extollit, ob summa de patria merita regno dignissimum esse dicit. Post Mercurii discessum principes voluntati Iovis obsecuti Ioannem Albertum regem summo consensu renuntiant (v. 43—79). Quo facto Fama caelo in terram delapsa Ioannem Albertum regem creatum esse agricolis pastoribusque nuntiat, qui eam laetis animis excipientes novi regis dominationem sibi prosperam fore augurantur (v. 80—94). Quae Fama etiam Cracoviam perlata omnes cives summo gaudio affecit, a quibus postero die in delubris

[1]) Vid. „Librum diligentiarum" facultatis artisticae Univers. Cracov". edit. a Wlad. Wisłocki, Cracov. 1886, p. 394-5, ubi cunctas Corvini scholas in Univ. Cracov. habitas reperies; et G. Bauchii egregiam disputationem, quae inscribitur: „Laurentius Corvinus, der Breslauer Stadtschreiber und Humanist" (Zeitschrift des Vereins f. Geschichte u. Alterthum Schlesiens t. XVII, Vratislaviae 1883 p. 235).

Deo laudes gratesque sollemnes campanis, tubis tympanisque sonantibus aguntur. Vespere regiae arcis turres facibus illuminantur, quibus dissipantur caligines noctis. Per totam urbem ignes ardebant, ad quos iuvenes et senes, viri et feminae vino exhilarati cantantes saltantesque ludebant et manibus ad sidera sublatis pro Alberto rege creato Deo gratias agebant (v. 95 — 117). Nec soli mortales, sed etiam numina ruris, nymphae, satyri, Pan illo die laetabantur choreasque ad calami cantum ducebant (v. 118 — 125). In extremo carmine poeta votum facit, ut laetitia, quam omnia animantia illa die nocteque perceperint, felicem faustamque Ioannis Alberti regis dominationem praenuntiet (v. 126-7).

Argumento carminis enarrato necesse est ea, quae coaevi scriptores de Alberti regis electione tradiderunt, paucis perstringere, quo facilius poetae fidem et rationem, quam in re historica tractanda secutus sit, cognoscamus.

Scriptores coaevi, qui res ad electionem huius regis spectantes ad historiae fidem memoriae prodiderunt, sunt Matthias de Miechów (Miechovita, doctor medicinae, magister Universitatis Cracov. et medicus Sigismundi I, regis Poloniae), qui Chronica Polonorum a. 1519 et 1521 edita conscripsit, et Ioannes Ursinus (doctor medicinae et magister Univers. Cracov.), qui libellum „Modus epistulandi" inscriptum (nota loci et anni carentem, fortasse Cracoviae circ. a. 1495) publicavit. Matthias de Miechów (Chron. a. 1521 ed. p. CCCLII) narrat inter electores, qui festo Assumptionis Mariae (15ª Augusti) a. 1492 Petricoviam (Piotrków), quod est Poloniae Maioris oppidum, ad novum regem creandum convenissent, magnam dissensionem, quemnam de Casimiri regis filiis eligerent regem, ortam esse. Nam nobiles et familiam Rosarum (Róża) et urbem Cracoviam cum aliis civitatibus Ioannem Albertum, maiorem natu Casimiri filium, regnare voluisse, cum Sbigneus de Oleśnica archipraesul Gnesnensis, Conradus et Janussius Masoviae duces, Raphael Jarosławski regni marsalcus et optimatum familia, quae in armis bipennem (Topór) gerebat, cum multis fautoribus summo studio adniterentur, ut Sigismundus, minor natu Casimiri filius, rex eligeretur. Ioannem Albertum sollicitum, ne ex gravi electo-

rum dissensione tumultus aut caedes oriretur, Elisabeth matre adiuvante milites armatos Petricoviam misisse, qui ipso adventu Ioannis Alberti adversarios adeo perterruissent, ut is die lunae 27ª Augusti ab universis electoribus rex Poloniae proclamaretur. Quo facto Ioannem de Tarnów, palatini Cracoviensis filium, Cracoviam velocissime contendisse, ut Ioannem Albertum regem electum esse nuntiaret. Crastino electionis die in delubris Cracoviae „Te Deum laudamus" sollemniter decantatum fuisse universis civibus mirum in modum gratulantibus et gaudentibus, qui noctu multis ignibus incensis vasa vini et cerevisiae exponentes multitudinem laetitia exsultantem ad bibendum invitarent. Hactenus Matthias de electione rettulit.

Ioannes Ursinus[1]), de regis electione eadem fere atque Matthias de Miechów, sed brevius commemorat, a quo hoc tantum discrepat, quod regni competitorem a Sbigneo de Oleśnica commendatum non Sigismundum, sed Vladislaum, maximum natu Casimiri filium, qui rex Hungarorum erat, fuisse tradit.

Quibus cognitis si Corvini carmen cum rebus, quas coaevi scriptores supra l. de Ioannis Alberti electione memoriae prodiderunt, comparaveris, magnam materiae sterilitatem ieiunita-

---

[1]) In opusculo, quod inscribitur „Modus Epistulandi" (s. l. a. veri sim. Cracov. circ. a. 1495 edit. 4°; cuius rarissimi libelli unum exemplar num. X. b. 46½ signatum nunc in Bibliotheca Iagellonica Cracov. asservatur) fol. 17b, cap. XXXV de Ioannis Alberti electione haec refert: „Post regis Casimiri obitum funusque de more illi peractum longa optimatum deliberatio fuit, quem ex filiis in demortui locum crearent. Sed cum eo tempore electores omnes convenire minime potuissent, reiecta res est ad XVIII. Cal. Septembres (=15. Augusti), quo die Petricoviam, ut vetus est mos, eligendi gratia se conferrent. In eo itaque conventu permagna fuit altercatio. Maior enim pars optimatum ac omnes civitates universaque nobilitas Ioanni Alberto suffragium dat. Pauci admodum Sigismundum postulant. Sbigneus autem archiepiscopus cum plerisque fautoribus suis Vladislaum, regem Ungariae, summo studio diligentiaque eligendum censet. Verum eius consilio vehementer ab omnibus reclamatum est. Cum igitur aliquot dies altercatione mutua consumpti fuissent, vicit tandem eorum sententia, qui Albertum eligendum suadebant. Quod videns archiepiscopus animum suum in Albertum cum suis omnibus deflexit. Itaque cum admirabili populi optimatumque consensu rex est creatus Albertus".

temque in eo deprehendes, cum multas res graviores scituque dignas abesse intellegas. Ita Corvinus neque locum, quo electores convenerunt, neque candidatos regios eorumque potentissimos fautores nominavit, neque quidquam de electorum dissensione commemoravit. Ineptas vero res, quae et ab argumento carminis temporumque rationibus abhorrent et fidem historicam offendunt, inserere non dubitavit. Tali generi est imprimis adnumeranda oratio pro contione electorum habita (v. 17—41), qua ipsis uno tantummodo rege opus esse persuadetur; unde quis recte concludere possit quosdam electores fuisse, qui duos reges creandos esse censerent, quam tamen sententiam neminem electorum habuisse constat. Huc referendi sunt etiam versus (43 sq.), quibus poeta electores Iovem precantes facit, ut per Mercurium caelo demissum ipsis virum regno dignissimum indicet. Neque minus ineptus est locus (v. 122 sq.), quo Corvinus in communi mortalium gaudio etiam numina rustica, Pana, satyros, dryadas novo rege electo exsultantes induxit. Quibus quidem locis, qui veterum poetarum Romanorum, imprimis Vergilii et Ovidii imitatione expressi sunt, Corvinus hoc erravit, quod eos rei propositae male accommodavit nulla temporum religionisque christianae ratione habita.

Quae si respicias, veram electionis imaginem a carmine prorsus abesse intelleges. Etsi poetam et historicum diversas rationes finesque sequi constat, hoc tamen uterque cavere debet, ne in rebus describendis a veritate ac fide recedat. A qua Corvinus cum abhorreat, a crimine neglegentiae levitatisque prorsus absolvi nequit. Quamquam enim poeta conventui Petricoviensi, in quo Ioannes Albertus rex creatus erat, non interfuit, tamen eum, dummodo vellet, de rebus in illo conventu gestis a quolibet electionis teste facile doceri potuisse pro certo affirmare audemus.

Neque Ioannes Ursinus, qui nostrae poetae paene aequalis necnon collega maior in Universitate Cracoviensi erat, conventui Petricoviensi interfuit; quod tamen illum virum non impedivit, quominus de rebus in illo conventu gestis fide digna, ut supra dictum est, commemoraret.

Quae cum respicimus, huic carmini non multum laudis tribuere possumus. Videtur enim esse specimen tirocinium,

ingenii lumine, compositionis arte, sermonis elegantia, fide historica destitutum, quo poeta nihil aliud nisi quandam versuum pangendorum facilitatem et Romanorum poetarum cognitionem probavit.

Superiorem se praestitit Corvinus in altero carmine, quo Ioannis Alberti regis coronationem celebravit. Namque in eo non solum historiae fidem respexit digressionesque a re proposita abhorrentes reiecit, sed etiam ornatu mythologico moderate usus est. Adde, quod et res poetico sermone amplificatas apte disposuit, quas strophis Sapphicis ad rei metricae leges revocatis inclusit.

Si vero huius carminis argumentum cum eis, quae Matthias de Miechów de Ioannis Alberti coronatione prodidit, contuleris, res ad coronationem regiam spectantes in Chronicis Matthiae (l. l.) brevius, sed accuratius, quam in Corvini carmine enarratas reperies. Ita Matthias[1]) et tempus sollemnium accurate definivit et archipraesulem, a quo rex coronatus et inunctus erat, cum aliis viris amplissimis, qui sollemnibus aderant, nominavit, quod frustra in Corvini carmine quaeres. At contra in eo nonnullas res, quas, utpote minoris momenti, Matthias omisit, allatas reperies velut: diem, quo coronationis sollemnia celebrarentur, ex nubili serenum factum esse (v. 13—20) et lunam clarissima luce noctis tenebras dissipasse (v. 21—24); regem coronatum in sella curuli sedentem in delubro fortibus meritisque de patria civibus, quos gladio feriret, dignitatem equestrem dedisse (v. 41 — 44); eundem postridie, quam coronatus esset, insignibus regiis ornatum in foro Cracoviensi a senatoribus fidem recepisse iuribus eorum approbatis et postea milites in campo exercitiis ad proelia se praeparantes inspexisse (v. 85—96).

Quibus cognitis etiam dicendi genus, quo Corvinus in utroque carmine usus est, explorare nobis placet. Quam quae-

---

[1]) Chronica Polon. p. CCCLIII: „Coronatio tandem eius in regem Poloniae dominica in crastino Mauritii, quae fuit 23a Septembris, celebrata. Coronatus autem fuit et inunctus est per Sbigneum de Oleśnica, Gnesnensem archiepiscopum debilem et hydropicum, assistentibus ei Frederico electo Cracoviensi confirmato, Petro Moszczyński Cuiaviensi, Uriele de Gorka Posnaniensi episcopo, multisque pontificibus et praelatis, regina quoque Elisabeth genetrice ipsius inspectante et multitudine populi copiosa".

stionem ut paucis absolvamus, Corvinum optimorum Romanorum poetarum, imprimis Vergilii et Ovidii elocutionem imitatum esse statuimus. Utriusque poetae vestigia, quae in priore Corvini carmine maxime manifesta sunt, in notis textui carminis subiectis indicavimus. Vehementer tamen erraret, si quis Corvini elocutionem ad Romanorum poetarum exempla omnino conformatam esse putaret. In eius enim carminibus tales voces et locutiones reperiuntur, quae prorsus ab usu scriptorum Romanorum abhorreant vel apud eos nusquam occurrant, velut: comministro (Cor.* 75), quod verbum apud veteres Romanorum scriptores nusquam reperitur; declivus (El.** 59) pro declivis, nisi formam „declivos" corruptela ortam esse ex „declives" suspicaris. Nonnullae voces alia atque apud Romanos scriptores notione usurpantur, velut: glans pro arbore (querna sub glande, El. 120) — murus pro urbs (subiere celsi moenia muri, Cor. 7. 8). — sui sibi (El. 52, Cor. 37) pro eius, ei — peto (Cor. 51) pro invito — struo (Cor. 97) pro paro, nitor — adductus (Cor. 93) pro admotus, propinquus — quod (El. 127) pro ut cons. — dum (El. 4) pro cum temp. — donec (Cor. 82) pro dum — particula que non suo loco ponitur Cor. 9, El. 55 — praepositiones cum, in, ex inepte usurpantur: cum voce canebant El. 113 — ornatus in lapillis Cor. 40, decoratus in auro Cor. 37, nullo in aevo Cor. 90 — Locutiones insolentes reperiuntur: El. 74 extollendus venit pro est — El. 82 e medio divorum — Cor. 41 in medio delubri — El. 124 „calamis choreas tangere" quasi „canere modos ad saltandum excitantes" — Cor. 77 „thyrsos inire" pro „Bacchi orgia celebrare". In modis temporibusque usurpandis Corvinus a Romanorum scriptorum usu recessit El. 24, Cor. 14, ubi partic. licet indicativo adiunxit — Tempora variavit El. 7, 9: „ubi renovabat (pro renovavit) ... recrevit". — Consecutionem temporum violavit El. 11, 12: „ut eligerent regem, qui teneret et sit laturus". Voces denique insolenter ordinavit El. 119, ubi „etiam sed" pro „sed etiam" posuit.

* = Carmen in Coronationem.

** = Carmen in Electionem.

Verum diligentiorem atque accuratiorem poeta se praestitit in legibus prosodiacis observandis et versibus strophisque componendis, in quibus optima Romanorum poetarum, imprimis Vergilii et Horatii, exempla secutus est. Versus heroici efficiuntur pedibus dactylicis et spondiacis apte inter se variatis, spondeo ex 5. sede excluso. Omnes hexametri caesuras legitimas exhibent, quarum frequentissima est semiquinaria; caesuram semiseptenariam semel tantum (v. 51), post tertium trachaeum quater (v. 50, 55, 72, 79) admisit. In qua re hoc monendum est particulam „que“ voci adnexam non impedire, quominus caesura ante eam cadat (v. 62. 110).

In strophae Sapphicae structura, quam in carmine de Ioannis Alberti regis coronatione usurpavit, poeta severis Horatii legibus se astrinxit. Cuius morem secutus caesuram semiquinariam constanter adhibuit, ita tamen, ut particula „que“ voci adiuncta caesuram non tolleret (v. 81). Etiam cavit, ne vox monosyllaba, nisi eam alterum monosyllabum exciperet (v. 15), caesurae praecederet, versu 41 excepto, ubi post praepos. *in* caesuram admisit, qua effecit, et praepositionem a suo nomine separaret. V. 22 et 90 hac licentia usus est, ut caesuram post praepositionem, quae priorem vocis compositae partem efficit (mirata in ‖ solitum; nullo inter ‖ ituram), admitteret. Versus 90 unicus est, in quo poeta caesuram post trochaeum pedis dactylici usurpavit.

In contextu utriusque carminis recensendo id maxime intendi, ut codicis scripturam secutus ubique vera genuinaque auctoris verba restituerem. Quod propositum praeter opinionem maiorem diligentiam operamque requirebat, cum codicis scriptura, etsi a turpibus mendis et corruptelis vacabat, propter confusam litterarum formam et insolentes vocabulorum abbreviationes a librario usurpatas passim graves difficultates praeberet; quas tamen me feliciter superasse confido, vocibus duabus tribusve exceptis, quae nisi divinando restitui non poterant. Denique in contextus scriptura et sententiis interpungendis hanc rationem secutus sum, ut eam ubique ad nostri temporis consuetudinem revocarem.

Quibus praemissis iam utriusque carminis contextum ad fidem codicis recensitum proponimus.

HEROICUM HEXAMETRUM MAGISTRI LAURENTII CORVINI NOVOFORENSIS EDITUM IN ELECTIONEM SERENISSIMI ALBERTI, REGIS POLONIAE.

(Lib. mscr. Regiae Bibl. Monac. n. 4422 fol. 194b—197b)

Phoebo per placidum Geminorum sidus eunti
Terni quadrupedum restabant paene labores
Luciferum arentis rubicunda ad bracchia Cancri,
Dum rex fatali Casimirus lege vocatus
Et tristes senio terras exosus inerti

---

2 labore — 3 Luciferi: arentis — brachia — 4 vōtus.

V. 1—3 poeta diem, quo Casimirus Iagellonides, rex Poloniae, decessit, significat, qui dies est 7^{a} Iunii a. 1492. Quam diem definivit poeta signis zodiaci allatis, quae sol singulis mensibus intrat, hac usus locutione: „Soli per sidus Geminorum eunti iter ter tot dierum, quot adhuc fecerat, faciendum erat, ut ad Cancri signum perveniret". Sol Geminorum signum 1^{a} Iunii, Cancri signum 1^{a} Iulii intrat. His vero terminis repugnat poetae ratio v. 2 et 3 exhibita $(7+(3\times 7)$, qua efficitur, ut sol Cancri signum 28^{a} Iunii non 1^{a} Iulii intret. Quam manifestam discrepantiam ut temperaret, poeta vocabulum *paene* v. 2. addidit. — 2. *Terni ... labores*] Sensus: Solis equis restabat iter paene ter tot dierum, quot adhuc fecerant; i. e. iter longius quam 21 dierum — 3. *Luciferum*] pro Luciferorum, cf. magnanimum v. 62 — 4. *Dum*] qua coniunctione Corvinus saepius pro „cum" utitur. — 5. *senio*] Casimirus rex a. 1427 natus, 7ª Iunii a. 1492 aetatis anno 65 decessit in Lituaniae oppido Grodno, unde corpus eius sollemni pompa funebri Cracoviam deductum in sacello s. Crucis ecclesiae cathedralis in Vavelo sepultum erat die 11ª mensis Iulii. Vid. *Matthiae de Miechów* „Chronica Polonorum", Cracov. 1521, lib. IV. p. CCCXXVI sq. et Io. Ursini epistulam a *Jacobo Caro* publicatam in Historia Poloniae t. V. 2. p. 1004 — 1005. Cuius regis obitum deploravit Corvinus singulari carmine elegiaco, cuius titulus est: „Epicedium elegiacum pentametrum

Aeterni subiit caelestia tecta Tonantis.
Inde pharetratis ubi roscida Luna puellis
Vecta bis algentem renovabat cornibus orbem
Noctivagisque iterum media plus parte recrevit,
Convenere duces arctoae gentis in unum
Oppidum, ut eligerent regem, qui sceptra teneret
Imperii, adversos et sit laturus in hostes
Arma, nec horrendo populandas traderet oras

---

7 rossida — 9 Noctifagis que; particulam *que* Corvinus adiungere solet vocabulo sententiam antecedentem terminanti — 11 ceptra — 13 horas.

---

magistri Laurentii Corvini Novoforensis editum in nobile funus Serenissimi Casimiri olim regis Poloniae, magni ducis Lituaniae, Russiae Prussiaeque domini et heredis". Quod carmen ex 42 distichis elegiacis constans exstat in fol. 192a — 194a codicis latini (s. XV. ex.), qui num. 4422 signatus in Regia Bibliotheca Monacensi asservatur, itemque in codice Lubinensi (p. 533 – 535) sub fin. saec. XV. scripto, qui num. Л. Ф. ОМД. IV. N. 19 signatus nunc est κτῆμα publ. caes. Bibliothecae Petropolitanae.

V. 7—9 poeta indicat inter Casimiri regis mortem et principum Polonorum conventum Petricoviae (quod est Maioris Poloniae oppidum) habitum, quo Ioannes Albertus (a. 1459 natus), tertius Casimiri filius, rex creatus erat, plus quam duo menses et dimidium interfuisse. Quod temporis spatium poeta non satis accurate definivit; nam Matthia de Miechów auctore (o. l., cf. Caro: Geschichte Polens V. 2. p. 635 sq.) conventus principum Polonorum Petricoviensis ab 15^{a} ad 27^{am} Augusti 1492 habebatur, quo die post magnas procerum Polonorum altercationes et dissensiones Ioannes Albertus rex electus erat. De qua re vid. etiam Io. Ursini epistulam ad Philippum Calimachum datam Cracoviae a. d. XIV. Cal. Sept., quam p. 5. n. 1. allatam reperies.

9. Cum v. 9. cf. Ovid. Her. 2. 5: luna quater latuit, pleno quater orbe recrevit.

10. d u c e s a r c t o a e g e n t i s, i. e. proceres Polonorum — in unum oppidum] i. e. Petricoviam (polon. Piotrków), Poloniae Maioris oppidum, in quo electorum conventus ad reges creandos haberi solebant.

12. s i t pro esset; Corvinus saepius leges consecut. temp. offendit.

Turco, sed populos bello tueretur et urbes.
Postquam diversos divi tenuere recessus,
Hoc prior heroum sermone silentia rupit:
„Ignea concordant caeli rectore sub uno
Sidera et aeterno peragunt optata meatu
Foedera, nec pictum turbat discordia mundum.
Ursa tenet gelidos nullo prohibente Triones
Cum consorte sua, nec laeditur ense Bootis
Pulchra racemifero compressa Corona Lyaeo.
Nil nocet Alcidae iam fulvo clava Leoni,
Ante licet nocuit; canus nec spicula Chiron
Torquet in Oleniam, quae illum laesere, capellam,
Unus convexi quoniam moderator Olympi est.
Sic bene conveniunt uno sub principe gentes,
Securusque tenet nullo sua rura vetante
Nobilis, et Cereri multa pro messe benignae
Spicea serta parat Corydon, nec civibus urbis
Bellica semirutos contundit machina muros.
Quantum Romulidae divo sub Caesare fortes
Floruerint, nobis sit edax pro teste vetustas,
Dum sua ab Hispanis intonsi Solis ad ortum
Atque ad Caucaseos tendebant iura colonos.
Ergo uno tellus contenta est rege, nec umquam,
Ut bene multarum probat experientia rerum,
Stare diu ducibus potuerunt regna duobus.
Nunc, quis erit solii magno donandus honore,
Consulite in medium, res est non parva, profunda
Pallade nunc opus est, opus est et Apolline multo".
Dixerat; hinc omnes oculis ad sidera versis
„Annue clivosi, perhibebant, Conditor orbis
Et maris et terrae, iam dirige ab axe nepotem,
Iuppiter, Atlantis, ne nos facundia fallat".

21 Boetis — 22 Pulcra — 26 qm̃ — 27 pro „conveniunt" fortasse scribendum est „convivunt".

15. cf. Ovid. Met. II. 177: Ergo ubi marmoreo superi sedere recessu.

24. licet cum indic., quod apud scriptores aetate posteriores (Appul., Macrob.) reperitur; cf. infra Carm. de Coron. v. 14.

Vixdum desierant, caelo Saturnius alto
Despicit, tum vocat natum, quem montibus una
Pleias Arcadiis genuit, cui talia fatur:
„Labere, Sarmaticis qua castra locantur in agris
Celsa, duci Albertoque, mone, dent sceptra potentes
Heroes"; capiebat enim nunc affore tempus,
Quo sibi magnarum post multa pericula rerum
Sidera robustae permittant gentis habenas.
Nulla mora est, celeres recipit Cyllenius alas,
Paciferam virgamque, suo pro crine galerum,
Et patris imperio summa delabitur arce,
Anguiferoque secans liquidum celer aëra ramo
Sistit nubifero Carpati in vertice plantas,
Declives campos et quo sibi spectat eundum est.
Unde velut volucris vacuam sublimis in auram
Se dat praecipitem superans pendentia caeli
Nubila, magnanimumque oculos ad castra potentum
Flectit. Et ingressus circumdedit igne sedentes
Divino, et virga praecordia mulcet amica
Omne ducum specimen, Albertum in corda reducens,
Qualiter hibernae patiens nivis atque gelatae

---

48 archadiis — 51 Heroas — 59 Declivos — 63 ingressu.

---

49 castra celsa, i. e. oppidum Petricovia — 51 capiebat, scil. mente, i. e. percipiebat, intellegebat. — 52 *sibi* pro *ei*, i. e. Ioanni Alberto. — 53. robustae gentis, i. e. Polonorum.

55 Paciferam virgamque, pro paciferamque virgam; Corvinus enim in particula *que* usurpanda a sriptorum Romanorum more abhorret; cf. v. 9. et not. crit. ad hunc versum.

65 Io. Ursinus in Epistula sua, quam Caro in Histor. Polon. V. 2. p. 1002sq. publicavit, de Ioannis Alberti natura et moribus haec memoriae prodidit: „tertio genitus Iohannes Albertus et armis et animi fortitudine princeps intrepidus, quem fortuna vel potius virtus in adversis exercuit atque fatigavit, ut posthac eius nomen celebre atque immortale in omni felicitate reddat".

66sq. perstringit poeta victorias Alberti principis de Tartaris et Valachis annis 1487 — 91 partas, quarum celeberrima erat ad Podoliae vicum Kopestrino (Kopestrzyno) 8ª Septembris a. 1487 reportata, qua ingentes Tartarorum copiae profligatae et quinque milia caesa esse dicuntur. Vid. Caro, Hist. Pol. V. 2. p. 597 sq.

Lunae ad piscosam fera bella Borysthenis undam
Gesserit, innumeros valido et cum milite Turcos
Straverit. „O vestrae quotiens iam foedera terrae
Praebuit, et patrios tutatus ab hoste penates
Victrici meruit iam dudum tempora lauro
Cingi, proceroque refert in pectore pulchram
Virtutem, occubuit quae numquam sorte maligna;
Iure igitur patris venit extollendus honore".
Haec ut disposuit stimulosque immersit acutos,
Caelestem subito magni genitoris ad arcem
Pergit Atlantiades. Omnes (mirabile dictu)
Ocius Albertum concordi voce paterna
Sceptra tenere volunt, sic stat sententia menti.
Extemplo alatos delecti conscia regis
Sustulit e medio divorum Fama lacertos
Cumque novo nemorum rumore silentia primum
Infringit, rudibus pecorum et pastoribus inquit:
„Pascite securi, per apricum pascite campum,
Errent arbuteo graciles in monte capellae.
Non lupus armentis fraudes meditabitur ullas,
Barbarus Alberto nec habebit iugera rege
Miles. Iam occiduo vestri stent sole invenci
Herbiferum viridi cincti ad praesaepe corona.
Garrula sollicitos Amaryllidis edat amores
Fistula, et ad sonitum bibulus moduletur Amyntas".
Praecipiti deinceps per devia rura volatu
Laetitia arctoas passim impleverat urbes.
Occupat ut magni sublimia moenia Gracci

---

68 in numeros — 72 pulcram. — 77 adlantiades — 91 modulatur — 92 voluta.

---

74 extollendus venit, pro est, quae locutio apud scriptores Romanos non reperitur.

75 immersit, scil. animis electorum — 84. cf. Verg. E. I. 45 — 85. cf. Verg. E. I. 74 — 86. cf. Verg. E. V. 60 sq. — 87. cf. Verg. E. I. 70.

94. moenia Gracci, i. e. Cracoviam, quam Cracus vel Graccus condidisse fertur.

Aurora roseis orbem lustrante quadrigis,
Protinus aëriis resonant in turribus aera,
Exsultat laeto populus clangore tubarum,
Tympana delubris pulsantur inania sacris,
Quis se Martis in arma solent animare Quirites
Armigeri; auro tus redimita lychnus in ara
Fumat, praerupti iubar ad fastigia templi
Summittitur, dextro datur hostia multa Tonanti,
Donec in Herculeis fessus se proluit undis
Sol. At ubi obscura totas caligine terras
Astra minora poli lustrabant igne sereni
Exiguo, et rarae campo incubuere tenebrae,
Ter centum in celsa flagrant (mirabile visu)
Turre faces, Indos Phoebum lustrasse putares.
Per totam appositis structus rogus ignibus urbem
Uritur, exhaustique adolentur pocula Bacchi.
Per picis ardentem subito crepitantis acervum
Traiciunt iuvenes animosi corpora, circum
Ignes annosae tremula cum voce canebant
Matres immemores gibbosae saepe senectae.
Vulgus iners, proceres, pueri innuptaeque puellae
Undique sublatis clamant ad sidera palmis:
„Gloria sit superis Alberto rege perennis“.
    Nec mortale genus solum gratatur in illa
Luce, etiam herbosi sed agrestia numina ruris.
Ecce rudis nuper querna sub glande Menalcas,
Dum capere optabat dulces in gramine somnos,
Rettulit arboreas plausum fecisse sorores
Per nemus umbrosum; redimitum et tempora pinu

---

97 Exultat — 100 auratus — litemus — 114 gibose.
117 pe'heñis — 121 cap're.

---

95. Cf. Verg. Ae. VI. 535 et VII. 25 sq. — 96. cf. Verg. Ge. IV. 1. — 98. cf. Ovid. Met. III. 537 — 99. quis=quibus — Quirites, i. e. equites Poloni — 113 tremula cum voce, pro solo ablat.

119 insolens ordo particularum „etiam ... sed“ pro „sed etiam“. — 120 querna glande, pro quercu glandifera — 122. arboreas sorores, i. e. dryadas.

Pana ait imparibus calamis tetigisse choreas,
Et dryadum turbam, satyros tenuisse bicornes.
Sic noctemque diem ducebant omnia laetam,
Acta quod auspicii bona sint praesaga futuri.

---

124 inparibus.

---

124 tetigisse choreas, quasi „cecinisse modos ad saltandum excitantes“.

125 tenuisse, quasi „movisse (scil. cantu) Pana“ (accus. subiecti).

127 *quod* pro *ut* consec. usurpavit, qualia exempla saepius in Corvini carminibus reperiuntur. V. 126—7 hanc sententiam continent: Omnia animantia sic (=tam) laetam diem noctemque ducebant, ut bona acta (=facta). auspicii (scil. boni) futuri praesaga sint (pro *essent*), i. e. ut gaudia ab omnibus percepta Ioannis Alberti dominationem felicem fore portenderent.

SAPPHICUM HENDECASYLLABUM EX DICOLO TETRASTROPHO MAGISTRI LAURENTII CORVINI NOVOFORENSIS IN CORONATIONEM SERENISSIMI AC ILLUSTRISSIMI IOANNIS ALBERTI, REGIS POLONIAE.

(Lib. msc. Regiae Bibliot. Monac. n. 4422 fol. 200a—202a)

Pinguibus postquam nebulosus uvis
Venit autumnus, spatioque Phoebi
Ignibus novo caluere iustae
Pondera Librae:

Titulus: Saphicum endecasyllabum ex *dico*, unde *dicolo* conieci.

Tit.: tetrastropho] poetae latini recentiores vocem „tetrastrophus“ inepte usurpant pro „tetrastichus“.

1. Sollemnia, quibus Ioannes Albertus insignibus regiis exornatus erat, celebrata erant in ecclesia cathedrali Cracoviensi in monte Vavelo sita die 23^{a} Septembris a. 1492, quod tempus in aequinoctium autumnale incidens poeta verbis: „pondera iustae Librae ignibus Phoebi caluere“ apte definivit.

2. spatio novo] nam autumnus, quem aequinoctium autumnale aperit, vixdum esse coeperat.

Magni ab arctoae regionis ora
Principes forti solium daturi
Regium Alberto subiere celsi
Moenia muri,

Quae suis primum generosus olim
Graccus erexit populis, abesam
Hic ubi ripam sinuosus undis
Histula pulsat.

Conditus primo nebulis in ortu
Sol licet tristem reparat orbem,
Ne tamen lux haec foret atra, nubes
Pellit aquosas.

Neve mortales tenebroso amictu
Terreat, vestem recipit coruscam
Et novo (mirum est) tenues per auras
Fulserat igne.

Luna fraternis renovata flammis
Saepe mirata insolitum nitorem,
Plena nocturni sua dum tuetur
Cornua roris.

Arborum lentis redimita ramis
Templa fumosos redolent odores,
Quos Arabs mittit satur a rubentis
Litore ponti.

---

14. pro „repararat" fortasse scribendum est „reserarat".

---

8. Moenia, i. e. urbem Cracoviam — 10 Graccus] vid. carm. super. v. 94 et notam.

14. licet cum indicat. legitur etiam in carm. super. v. 24— 15 lux] dies — atra] nubila.

22. Respicias, quaeso, insolitam caesuram semiquinariam cadentem post praepositonem, quae priorem vocis compositae partem efficit. Quam caesuram illegitimam poeta h. l. consulto admisisse videtur, ut ipsa versus structura insolitum lunae nitorem indicaret. Similem caesuram etiam in v. 90. usurpavit.

27. Arabs satur] intellegit Arabiam felicem Mari Rubro adiacentem, quae turis fertilissima erat.

Myrrha subiecto crepitarat igne,
Quam Sabaeorum venerem perosa
Dextra sub curvi rapido legebat
Sidere Cancri.

Hic Iovi summo sacra dum peregit
Pontifex, sancto tetigit liquore
Regias palmas, et utrasque inungunt
Balsama plantas.

Hinc sibi fulvo decorato in auro
Imperi sceptrum trifidum et corona
Lucida ornatis datur e lapillis
Divitis Indi.

Inde delubri in medio paratum
Rex coronatus solium petebat,
Et sedens stricto creat ense fortes
Saepe Quirites.

Hac die arctois epulae parantur
Regio luxu ducibus; nec umquam
Tantalus tales superis vocatis
Struxerat olim,

---

30 De qua re vid. Solinum, qui 33. 7 de Sabaeis haec refert: „Iidem illi cum lucos (scil. turiferos) vel metunt vel incidunt, non funeribus intersunt, non congressibus feminarum polluuntur".

31sq. Vid. Solinum 33. 8: (turiferas arbores) incidi ortu Canis flagrantissimis solibus".

33 Hic, i. e. in ecclesia cathedrali in monte Vavelo sita — 34 Pontifex] Intellegit Sbigneum Oleśnicki, archipraesulem Gnesnensem, a quo rex coronatus et inunctus erat. — 34 liquore] oleo.

37. Iunge: sibi (pro ei) decorato (in) fulvo auro, h. e. regi ornato vestibus auro intextis. — A poetis latinis recentioribus pron. sui sibi, se et eius, ei, eum promiscue usurpantur — in fulvo auro, pro solo ablat. — 39. corona lucida ornatis e lapillis (hypallage adiect.), pro corona ornata lucidis lapillis — e lapillis, pro solo ablat. — 40 De lapidibus, quos India fert, vid. Solinum 52, 53 sq. — 43. Mos erat, ut viri, qui a rege ad dignitatem equestrem promovebantur, ense stricto ferirentur.

Aut ubi aestivo nimium propinquus
Aethiops soli refluae ad furentes
Tethyos fluctus petiit beati
Numina caeli.

Vulgus ignavum cereale temnens
Munus annoso maduit liquore
Numinis lento nova de racemo
Serta gerentis.

Quae prius taetro Casimiri amictu
Fata lugebant graciles puellae,
Induunt rursus Tyrio rubentes
Murice vestes.

Inter has pulchro Iove digna vultu
Flora fulgebas, veluti coruscus
Lucifer, picti vaga dum repellit
Sidera mundi.

Non minor castae fueras cohortis,
Delia, ornatus, rubicunda cuius
Gemmeus fulgor color et rosarum
Occupat ora.

Ast ubi densae tenebrae imminebant
Noctis, arsuras posuere taedas
Et superiecta pice concremabant
Robora cives.

---

50 Thecios — 51 pecyt — 61 pulcro — 65 mino' — casti — 67 fulgur.

---

51 petiit] invitavit. De Aethiopibus deos ad epulas invitantibus vid. Homerum, a quo saepius commemorantur.

57 taetro] atro — 58 fata] mortem — 61 Flora, Delia (v. 66) sunt ficta nomina puellarum, quas poeta noverat. — 65 Iunge: non minor castae cohortis ornatus tu, Delia, fueras — 75 verbum comministro non reperitur apud scriptores Romanos. — 77 insolens locutio: „sacros thyrsos inire“ est quasi „Bacchi orgia celebrare; nam thyrsus Bacchica sacra obeuntium insigne est“.

Lampades claro iubare occupantes
Moenia excelsae lapidosa turris
Comministrabant per inane lumen
Urbis alumnis.

Plebs, velut sacros initura thyrsos
More Thebano, lituis tubisve
Tympano et moto resonare tota
Coepit in urbe.

Hic piae matresque viri nurusque
Passibus plaudunt, vaga donec axem
Luna traiecit medium et cadentes
Ibat ad oras.

Posteram siccis ubi sol pruinam
Clarus e campo radiis removit,
In foro aulaeis erat alta et auro
Condita sedes.

Hic gerens sacram diadema frontem
Rex fidem nullo interituram in aevo
A senatorum recipit cohorte
Iura probando.

Miles adducta celer in palaestra
Martis exercet studio lacertos,
Et fragor multum crepitantis hastae
Aethera pulsat.

Quid struo festas celebrare pompas?
Forsan aestivo stipulas in agro
Scire vel ponti bibulas amari
Nitor harenas.

---

78 litius — 86 et e campo — 96 Ehtera — 100 arenas.

---

81. De partic. „que" non suo loco collocata vid. carm. super. v. 9. (not. crit.). — 82. donec, pro „dum" — axem] caelum — 83. cadentes ibat ad oras] ad occasum vergebat — 90. In hoc versu caesura post praepos. inter cadit, quae partem priorem vocis compositae efficit. Similis caesura etiam in v. 22 reperitur. Praeter hunc versum poeta caesuram post trochaeum pedis dactylici nusquam usurpavit. — 92. Iura probando, i. e. iuribus senatorum approbatis. — 93. adducta] admota, propinqua — 97. struo] paro, nitor.